



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus IV. De Actore Et Reo. His alii accedere solent: hos nominat

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

etiamsi error absque gravi culpa commissus sit. Si vero suo defuit officio ex propria culpa, quia aut Judicis munus suscepit absque necessaria doctrina, aut perfunctorie causam examinavit, refarcire illatum damnum tenetur ex suo marsupio, quando errorem emendare, & eum, cui sua culpa aut inscitia nocumento fuit, indemnem præstare aliter non possit.

Alia remissive.

§. 43. Hæc pro instituto nostro de Judice dicta sufficiunt. De ejusdem officio circa singulos actus Judiciales dicetur, quando infra de his ipsis actibus instituetur sermo.

TITULUS IV. DE ACTORE, ET REO.

§. 44.

Præter Judicem requiritur Actor. **J**UDEX, de quo diximus, Causam discutit inter Actorem & Reum. Actor dicitur, qui juris experiundi causa aliquem in jus vocat. Si causa sit Civilis, proprie dicitur Actor: si Criminalis, vocatur Accusator. In Criminalibus vices Actoris sæpe supplet

plet vel ipse Magistratus, per viam Inquisitionis procedens; vel notorietas facti; vel saltem fama delicti.

§. 45. Agere possunt, qui legitimam personam standi in Judicio habent, ad petendum quod sibi vel Republicæ debetur: eam vero non habentes a Judiciis arcentur, ut est Pupillus & Minor XXV. annis, qui absque Tutore vel Curatore in Judicio non admittuntur. Minor tamen modo pubes sit, sine Curatore agere potest in Causa spirituali Beneficii, aut Sponsalium 89.); in causa momentaneæ possessionis; si super alimentis; si prosequatur suam, suorumque injuriam; si veniam ætatis consecutus sit; si conveniat ipsum Curatorem tanquam suspectum; si contingat pro ipso ferri sententiam. Muti, surdi, furiosi, mente capti, prodigi, quibus a Judice bonis interdictum est, solummodo per Curatorem agere permittuntur. Servi proprie dicti, qui in Jure Civili habentur pro nullis 90.), agere non possunt, nisi causa concer-

Quinam
agere

D 2

nat

89.) Cap. ult. de Judiciis in 6.

90.) L. 32. ff. de R. J.

nat statum ipsorum, vel utilitatem publicam. Mulier in Causis Criminalibus agere non permittitur, nisi suam vel suorum persequatur injuriam 91.). Hæreticos excludunt Jura: Excommunicati non tolerati, remouentur ab ipso Judice; tolerati exceptione repelli possunt: agere tamen permittuntur in causa suæ Excommunicationis, aut si vertatur salus animæ ipsorum, uti in causa Matrimoniali.

Possint;

§. 46. Libertus contra Patronum sine venia in Judicio stare non potest: nec filiusfamilias contra Patrem, nisi circa peculium Castrense vel quasi, venia tamen Prætoris impetrata. Contra alios filiusfamilias sine consensu Patris in Judicio stare non potest, nisi in causis spiritualibus, vel dependentibus ab iisdem: item si filiusfamilias Studiorum vel Legationis causa absit & injuriam passus sit, potest in scio Patre, utili judicio agere. Religiosus sine consensu sui Superioris alios convenire non potest, nisi in Causa Beneficii, cujus habet administrationem; in causa defendendi Monaste-

91.) L. 1. & 8. ff. de Accusat.

nafterii vel Prælati ; in caufa con-
fervandi fe in Religione, ne privetur
jure quæfiro per Professionem ; vel
quando agitur de valore Professionis ;
in caufa famæ propriæ. Prælatus
Ecclefiafticus potefi agere in Judicio
etiam fine confenfu Capituli vel Con-
ventus, de Bonis ad Ecclefiam vel
Monafterium pertinentibus, ficut po-
teft agere Pater pro bonis adventitiis
filii, Maritus pro bonis dotalibus
uxoris, Tutor pro bonis pupilli. Con-
fenfus tamen Capituli requiritur in
Caufis valde arduis ; in bonis Capi-
tuli propriis ; vel fi fpecialia Jura aut
Confuetudines id exigant. Creditor
ante conditionem vel diem non re-
cte agit, nifi forte ad interponendam
cautionem.

§. 47. Invitus nemo agere vel ac- *Aut tene-*
cusare regulariter cogitur 92.) : qui *antur ?*
tamen actionem instituit, persequi
eandem tenetur. Pro alio ratione
Officii agere tenentur Tutores, Cu-
ratores, Procuratores, Syndici, Civi-
tatis adminiftratores &c. Qui autem
poffunt & volunt in Judicio stare,
regulariter non tenentur personaliter

D 3

com-

92.) L. un. C. ut nemo invitus &c.

comparere, nisi *Causa fuerit Criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniae faciendo, vel alias Juris necessitas id exegerit* 93).

Preparatio ad agendum.

§. 48. Actor, priusquam ad agendum progrediatur, debitorem amice admonere debet; alioquin ab eo expensas in citatione factas reposcere non potest; facti speciem bene expendat, de Jure suo diligenter inquiret, & probationes præparet; si enim justam causam foveret, eam tamen probare non possit, condemnabitur; imo Actor nihil probans calumniari videtur: semper enim partes Rei sunt favorabiliores.

Quis Reus

§. 49. *Reus* dictus a *Re*, circa quam convenitur, vel accusatur, est ille, qui provocatur ad Judicium, & vel invitatus trahitur, seu cui movetur lis. Alius est *Civilis*, alius *Criminalis*: alius *Necessarius*, contra quem invitatus dirigitur actio, alius *Voluntarius*, qui ratione alicujus emolumenti, vel publicæ utilitatis causa non coactus contra Actorem in Judicio se sistit, ut contingit in Actione Legis diffamari; vel si citatio fit per clausulam, ut compareat,

pareat, qui sua interesse putaverit. Reus voluntarius non minus quam ipse Actor, legitimam personam standi in Judicio habere debet: necessarius vero personam legitimam habere videtur, tum quia defensio, quæ juris naturalis est, nemini denegari debet; tum quia eo ipso, quando quis in judicium vocatur ut Reus, persona ejus approbata censetur.

§. 50. Regulariter conveniri, Rei-^{Constitut} que constitui possunt omnes, qui ^{possit?} non excipiuntur. *Excommunicatus conveniri potest, & debet per alium respondere in Judicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare 94.*). Nominè Infantum, Pupillorum, mente captorum, mutorum, surdorum, conveniendi sunt eorum Tutores vel Curatores. Etiam minores, qui Curatorem habent, sine ejus autoritate conveniri non debent: si autem Curatorem non habeant, ad litem eis Curator dandus est. Magistratus ob dignitatem conveniri nequeunt, quamdiu in Imperio seu Officio sunt; quod tamen de majoribus & temporariis

D 4

acci-

94.) C. 7. de Judiciis.

accipiendum est. Legati, aliorumque negotiorum executores, si in Curia summi Principis conveniuntur, respondere quidem ob venerationem Principis compelli possunt; habent tamen privilegium revocandi domum, id est, petendi, ut causa ad forum ipsorum particulare, E. G. ad locum domicilii, aut contractus, aut rei factæ, remittatur, quod in curia Principis ad respondendum non sint instructi 95.). Idem de absentibus, ægrotantibus, & transeuntibus dici solet. Mulier ut rea, trahi ad Judicium potest: in Civilibus quidem stat personaliter in Judicio; non tamen ad id cogitur: Monialis autem nec volentis præsentia personalis admittitur 96.). Religiosus conveniri non debet ratione contractus; sed conveniendum est ipsum Monasterium, si hoc contrahendi licentiam dederit Religioso, aut inde factum sit ditius. Ratione delicti proprii convenitur ipse Religiosus, non Monasterium.

§. 51.

95.) C. ult. de for. comp. L. 2. §. 3. ff. de Judiciis.

96.) C. 2. de Judiciis in 6.

§. 51. De iis, qui non nisi in Foro privilegiato conveniri possunt, redibit sermo. Unde qui in Judicium vocatur, ante omnia disquirat, an legitima sit citatio: si ob reverentiam Judicis comparet, reservet sibi omnia beneficia Juris: non patiatur sibi imponi onus probandi; sed intra Exceptionum munimenta se obfirmato pede contineat; memor, meliorem esse conditionem Rei, qui regulariter edere non tenetur Instrumenta ad confirmandam intentionem Actoris, sed exigere editionem ab Actore potest ad fundandam suam exceptionem.

Quid illi observandum?

§. 52. Actorem esse, qui juris ex-
periundi causa aliquem in jus vocat:
item neminem invitum agere teneri,
supra diximus: quid circa utrumque
hoc assertum in casu Legis *Diffamari*
sentiendum sit, juvat uberius expli-
care, cum utilissimum hoc Juris re-
medium sæpe ex imperitia negligat-
ur. Status seu fama nostra læditur
dupliciter: primo quidem aperte at-
que injuriandi animo in nostram con-
tumeliam quid proferendo, ex quo
nascitur actio civilis vel criminalis;

D 5

de

de hoc in præfenti non agitur. Secundo modo fama seu status læditur, cum per errorem vel malitiam alterius oblique aspergimur, ita ut, si id tacendo ferremus, non solum status noster gravari, verum etiam rebus ac bonis nostris facile incommodari, vel etiam ratione existimationis læsæ, honor noster periclitari posset. Ubi licet de animo injuriandi manifeste non constet, nec præsumi possit, & ideo actio injuriarum confestim institui nequeat: nihilominus ut etiam in ejusmodi casu nobis bene prospectum sit, & ne fama latius sparsa majori periculo exponatur, hanc ipsam diffamationem non ferendam, nec silentio prætereundam esse Imperatores **DIOCLETIANUS & MAXIMINIANUS** censuerunt, certamque contra ejusmodi diffamationem agendi formulam per legem **DIFFAMARI**, *Cod. de Ingenuis Manumissis* præscripserunt, constitueruntque Legis hujus conditione contra ejusmodi sugillatorem experiri, eumque compelli posse, ut coram Judice diffamati compareat, & proposita actione ea, quæ temere divulgare non cessat, probet, vel porro taceat, & in
detri-

detrimentum nostrum famam spargere desinat.

§. 53. Pro commodo utilissimi hu- *Diffama-*
jus remedii usu, lubet Paradigma ap- *ri*
ponere. Casus fingatur sequens. Ti-
tius tractat de matrimonio contrahen-
do cum Bertha: id audiens Sempro-
nia, coram aliis sæpe jaëtat, Titium
sibi matrimonium jurato promississe,
unde se non passuram, ut cum Bertha
contrahat. Titius timens, ne Sem-
pronia negotium cum Bertha jam in-
choatum cum ignominia sua turbet
& moras injiciat, præsertim cum Pa-
rochus fama hac audita, nolit matri-
monio Titii cum Bertha assistere, con-
stituit Procuratorem in Consistorio,
qui Officiali Episcopi sequentem li-
bellum porrigit.

§. 54. Coram Vobis Revmo. Do- *Paradig-*
mino Episcopalis Curiaë Officiali com- *ma*
paret Procurator, & nomine Procu-
ratorio honesti viri Titii exponit cum
querela, quod licet ipse Titius cum
quadam Sempronia nunquam Spon-
salia contraxerit, nec aliud quidquam
cum ea egerit, cujus prætextu eidem
vinculo Sponsalium videri queat ob-
ligatus; nihilominus ista Sempronia
hinc inde famam spargere, ac falso
affe-

asserere non formidarit, nec etiam-
 num vereatur, eum sibi jurato vincu-
 lo sponsalium obligatum esse: &
 quod ipsa eum sic diffamando impe-
 diat, quo minus matrimonium cum
 alia in facie Ecclesiæ, Parocho Assi-
 stentiam suam negante, celebrare
 queat, in summum ipsius dedecus,
 præjudicium ac gravamen. Id vero
 cum dicta Sempronia citra omne ve-
 ritatis argumentum faciat, nec præ-
 tensam suam diffamationem atque as-
 sertionem aliqua legitima probatione
 in Judicio confirmare queat: idcirco
 petit Procurator nomine quo supra,
 contra eandem Semproniam per
 Rev. mam Dominationem Vestram
 tanquam Judicem æquissimum, cita-
 tionem juxta *L. Diffamari* decerni, ei-
 que ad ejusmodi assertum jus spon-
 salium coram R. ma Dominatione Ve-
 stra in judicio, prout fieri convenit,
 deducendum, certum assignari termi-
 num, cum tali comminatione, quod
 si hoc intra illum terminum minus
 fiat, eidem tum super ejusmodi sua
 assertione, diffamatione ac prætenso
 jure sponsalium, perpetuum per Ju-
 diciali sententiam silentium imposi-
 tum, ac simul Titio principali suo
 facul-

facultas cum alia matrimonium in fa-
cie Ecclesiæ celebrandi concessa esse
debeat. Quæ omnia & singula Pro-
curator in meliori forma, qua id fieri
debet ac potest, in favorem ac com-
modum principali suo decerni, pro-
nuntiarique rogat ac petit, cum re-
fusione expensarum ac Damnorum.
In his omnibus Rev. mæ Dominatio-
nis Vestræ Officium ad hoc opportu-
num, & quæcunque alia remedia Ju-
ris competentia ac necessaria, & justi-
tiam petendo & implorando. N N.
Procurator &c.

§. 55. Porrecto hoc libello, si con-
stet, & Titius sufficienter doceat, *Ostendit,*
Semproniam sparsisse ea, quæ hic con-
tinentur, eamque famam damno sibi *quis sit*
ac præjudicio fore; Officialis juxta *Actor,*
petitionem Titii citationem decernit. *quis Reus.*
Si intra præfixum terminum Sempro-
nia compareat, discutitur assertum
jus Sponsalium: si contumaciter non
compareat, eamque contumaciam
Titius elapso termino accuset; vel
comparens promissionem sponsalitiã
probare non possit: absolvitur Titius
ab observatione Judicii, imponitur
Sempronix silentium, pronuntiatur-
que, eam amplius circa hanc causam
non

non

non esse audiendam, nunc autem teneri ad solvendas expensas judiciales, & resarcienda damna per istam Diffamationem Titio illata. Ex his apparet, Titium, quamvis Semproniam in jus trahere videatur, non esse Actorem, sed potius Semproniam etiam invitam compelli, ut actionem contra Titium instituat. Istud pro declaranda doctrina tradita hoc loco sufficit. Alibi dicetur, quod diffamans si ex allegatæ Legis remedio citetur, non teneatur determinate comparere coram Judice citante, modo compareat coram Judice competente diffamati, quales sæpe possunt esse plures 97.).

TITULUS V.
DE ADSESSORIBUS, ALIISQUE,
QUI JUDICIBUS
ACCEDUNT.

§. 56.

*Judici
accedunt*

POSTQUAM de Personis, quæ in Judicio necessariæ sunt, mentionem

97.) Hanc aliasque Judicii hujus formulas in variis causis civilibus & criminalibus, ac fusam Commentationem in hanc legem exhibet BARTHOLOMÆUS BLARERUS.